

§. XII.

Cùm enim unam Justitia spectet æqualitatem, diverso ve-  
rò saltem modò circa eam versetur, unam quoq; esse Justitiam,  
duplici verò nomine, pro ratione diversi modi, appellari conclu-  
dit. Sed insigniter fallitur Buridanus: Diversus enim ille mo-  
dus res ad æqualitatem redigendi, nihil aliud est, quàm diver-  
sa illa Arithmetica & Geometrica proportio. Jam verò eùm  
specie, quod ipsa Mathesis eloquitur, illæ, & non peculiari sal-  
tem modò, uti ipse Buridanus somniat, differant: necessariò  
quoq; Justitia, quæ illam, & quæ hanc attendit proportionem,  
specie differunt, cùm naturam suam ex iis sibi desumant. Taceo,  
quòd Aristoteles utramq; speciem Justitiæ appellet *V. Nic. 5. & 7.*  
*alibiq; 3.* Taceo etiam communem Moralistarum consensum, quo-  
rum nomina apud *Hernejum lege Lib. 3. Philosophiæ moral. cap.*  
*11. §. 22.*

§. XIII.

Quamvis verò nos non fugiat, in numero etiam non con-  
venire Authores: tamen missis illis rixis, cùm de verbis magis,  
quàm rebus agere videantur; illorum amplectimur opinionem,  
qui duas adsignant Justitiæ nostræ species, Distributivam scili-  
cet, & Commutativam. Ipse enim *Aristoteles V. Nic. 7.* Justiti-  
am in *διανεμητικήν* sive distributivam, & *διορθωτικήν* aut emen-  
dativam sive correctivam distinguit; ubi cum posteriori non  
quoad rem, sed vocem tantùm nostra divisio pugnat. Loqui-  
mur enim communiori Latinorum stilò, qui substitutam *συναλ-  
λαττικήν* pro *διορθωτικήν*, commutativam reddunt; quam, ab usu  
jam confirmatam, retinemus, quoad cætera cum Aristotele planè  
consentientes.

§. XIV.

Distributivam itaq; priùs attingimus, atq; eam definimus,  
quòd sit Justitia Particularis, servans proportionem Geometricam  
in distribuendo singulis bona & mala universorum.

§. XV.

Verum & proximum Genus nos posuisse, nulli dubitamus.  
Cùm enim refutatus fuerit suprà *Buridanus*, quòd Distributi-  
vam & Commutativam Justitiæ species negaverit, reliquum erit,  
defi-